

capitulum pertinent ecclesiae administratio et decus, quae tueri valet et debet (1).

XV. Tempore concilii Tridentini sess. V. de reform. cap. 1, officium theologi, si ipse idoneus non esset, suppleri poterat per substitutum idoneum, ab ordinario eligendum, ut liquet ex textu ipsius Concilii. Deinde autem non nisi personis idoneis, quae per se ipsas id munus explere possunt, conferri potest. Quapropter theologus nunc compelli potest, ut per se, et non per substitutum, muneri suo satisfaciat, nisi legitima adsit causa (2).

Si impedimentum sit temporale seu infirmitas sanabilis, theologus compelli nequit ad alium substituendum, quia parvis est conditionis ac caeteri canonici, qui ex legitima causa a residentia excusantur. Si autem impedimentum sit perpetuum aut diuturnum, alium substituere tenetur, licet etiam senio sit confectus aut jubilatus, quia ratio publicae utilitatis id exigit, ne fideles pabulo saluari priventur (3).

Electio substituti pertinet ad Episcopum (4). Si tamen theologus per unam aut alteram vicem alii lectionem committere vellet, sufficit venia petita et obtenta a capitulo, salvo recursu ad Episcopum (5).

Deficiente theologo, non tantum sacerdos saecularis, sed in defectu sacerdotum saecularium, etiam regularis deputari potest (6).

XVI. Theologi lectioni interesse tenentur omnes canonici et presbyteri ecclesiae cathedralis, uti plures censent (7). Quinimo juxta Concilium Romanum 1725, tit. 1, cap. IX, interesse tenentur ecclesiarum dignitates et canonici, parochi et confessarii. Sacra autem C. Congregatio censuit intervenire teneri confessarios et curatos, reliquos vero esse hortandos, et non cogendos (8). Notat tamen Bouix, vix ab omni culpa excusari posse canonicos aliosque clericos

(1) Acta ibidem ad 1.

(2) Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 17; Pallottini *Canonicatus* § VIII, n. 382.

(3) Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 18 et 19; Lucidi de Visitat. SS. Lim. tom. 3, fol. 230, n. 17; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. IX, § VII, n. 5; Pallottini *Canonicatus*, § VIII, n. 390 et seqq.

(4) Lucius Ferraris ibidem n. 19.

(5) S. C. C. 28 Sept. 1726 apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § IX, n. 36.

(6) S. R. C. 10 Junii 1876, in Actis S. Sedis vol. X, fol. 227-231.

(7) Scarfantoni lib. 2, tit. X, n. 2; Barbosa de canonicis cap. 27, n. 28; Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 33.

(8) 2 Jul. 1707, *Milevitana*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § IX, n. 25.

ecclesiae cathedralis, si, hortante Episcopo, nihilominus ordinarie absint, quia id absque aliquo populi scandalo non eveniret (1).

Nota ex S. C. C. resp. 17 Dec. 1887, Episcopum posse capitulum et Clerum Cathedralium et Collegiatarum cogere ut lectionibus intersint, etiam adjectis mulctis (2).

XVII. Cum praebenda theologalis vacaverit, officium theologi committendum est canonico idoneo ejusdem capituli, donec titularis provideatur; alias Episcopus fructus applicare potest alii personae extra capitulum, sive saeculari, sive etiam regulari, si saecularis non reperiatur (3).

§ 2. De Canonico Pœnitentiaro.

I. " In omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentarius aliquis cum unione praebendae, proxime vacaturae, ab episcopo instituitur, qui magister sit, vel doctor aut licentiatus in theologia vel jure canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur " (4).

Cum Concilium tantum agat de cathedralibus, hinc sequitur pœnitentarii institutionem vi Concilii Tridentini in solis cathedralibus fieri debere. In ecclesiis tamen collegiatis pœnitentarius utilis esse, et ex peculiari fundatione institui potest. Cum autem in his praeter jus constituatur, tantum jurium et privilegiorum sibi vindicare poterit, quantum demonstrat sibi legitime concessum esse (5).

Praebenda unienda officio pœnitentarii, debet esse integra, atque canonicalis (6).

Verba Concilii Tridentini nullam praese ferunt exceptionem, quoad qualitatem et naturam praebendarum; ita ut Episcopus illam

(1) De capitulis p. 1, sect. 2, cap. IX, § VIII.

(2) Acta S. Sedis, vol. 20, fol. 469.

(3) Lucius Ferraris, *Canonicus* art. IX, n. 23-25; Barbosa de canonicis cap. 27, n. 59.

(4) Conc. Trid. sess. 24, cap. VIII de reformat.

(5) Vid. Acta S. Sedis vol. IV, fol. 177-190; Lucidi de Visitat. SS. Lim. vol. 1, fol. 78; Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 52.

(6) S. C. C. 31 Maji 1596, et 31 Mart. 1602, *Colimbriensi*, Barbosa de canonicis cap. XXVI, n. 2.

quam voluerit, in pœnitentialem constituere valeat (1). Semel autem erecta et deputata aliqua prœbenda pœnitentialem, hæc ita conjungitur atque annectitur officio pœnitentiarum, ut ab alio quam a pœnitentiarum possideri non possit (2).

Si nec theologalis nec pœnitentialem prœbenda adsit, theologalis per se prius erigenda et constituenda est (3).

Fieri potest, ut locorum, temporum aliorumque adjunctorum circumstantiæ prœbendam pœnitentialem canonice institui, non sinant, prout casus occurrit in Gallia et Belgio, ubi canonici certam a gubernio pensionem in pecunia numerata loco prœbendæ recipiunt. Hoc tamen in casu canonicatus pœnitentialem erectio obligatoria permanet. In decreto enim Cardinalis a Latere, quo sedes Episcopales eriguntur, præscribitur, ut primus Episcopus « potissimum duos ex canonicatibus constituat, quibus juxta Tridentini Concilii leges, adnexum sit theologi ac pœnitentiarum munus, a canonicis, qui ad eos promoti fuerint, secundum canonicas sanctiones fideliter adimplendum. » Ita præscriptum fuit in decreto Cardinalis a Latere, quo sedes Archiepiscopalis Mechliniensis erecta fuit 10 aprilis 1802, et procul dubio in erectione aliorum episcopatum per totum territorium reipublicæ Gallicanæ. Canonicatus enim constitui potest, sicut Cardinalis a Latere præscribit, cui juxta Concilii Tridentini leges annexum sit pœnitentiarum munus (4).

II. Electio pœnitentiarum pertinet ad solum Episcopum; collatio vero ad illos, ad quos alias spectat. Si autem collatio S. Sedi reservata sit, electio personæ et collatio spectant ad Papam. Occurrente vacatione pœnitentiarum, et sede episcopali simul vacante, electio et collatio semper pertinent ad Papam (5).

Ista electio et collatio de jure communi fieri non debent per concursum, ut dictum est § præc. de theologo n. III, nisi in Italia et insulis adjacentibus juxta Constitutionem Bened. XIII, 1825 *Pasto-*

(1) Acta S. Sedis vol. VIII, fol. 357.

(2) Acta vol. I, fol. 611.

(3) Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 62 et 63; Lucidi de Visitat. SS. Lim. tom. 1, fol. 78, n. 72; Pallottini *Canonicatus* § VII, n. 1 et seq., § VIII, n. 4 et seq.

(4) Lucidi de Visitat. SS. Lim. vol. 1, fol. 80, n. 76; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. X, § VII.

(5) Acta S. Sedis vol. IV, fol. 591; Barbosa de canonicis cap. 26, n. 4 et 5; Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 53-59; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, c. X, § IV; Pallottini *Canonicatus* § VII, n. 62.

ralis officii, ubi quæ de theologo traduntur, ad institutionem pœnitentiarum extenduntur; hæc enim Constitutio ad Italiam et insulas adjacentes circumscribitur (1).

III. Pœnitentiarum esse debet: 1° *magister vel doctor aut licentiatum in theologia vel jure canonico, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperitur*, prout Concilium Tridentinum requirit loco supra allato. Si magistri, doctores aut licentiatum in theologia vel jure canonico apti non inveniuntur, necesse non est pro validitate collationis, quod provisus talis sit; sed sufficit quod sit aptior in loco, videlicet in civitate vel diœcesi: non enim Episcopus extra diœcesim quærere tenetur (2).

2° *Annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperitur*. Juxta alios anni quadraginta completi esse debent, juxta alios sufficiunt inchoati. Horum opinionem confirmavit S. C. C. suo responso 25 jan. 1890 (3). Defectus tamen ætatis non obstat, si persona apta hujus ætatis in civitate aut in diœcesi non reperitur (4).

IV. Pœnitentiarum est canonicus, ideoque inamovibilis, sicut omnes alii canonici (5).

Non vero est dignitas (6) ita ut sedere debeat in loco sui canonicatus ordine receptionis, eique præcedentia non competat super alios canonicos, non obstante consuetudine contraria. Si alicubi inter dignitates recenseatur, id vel foundationis lege vel peculiari locorum consuetudine factum est (7).

V. Pœnitentiarum eo ipso, quo institutus est, habet a jure facultatem audiendi confessiones, et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque ulla Ordinarii licentia, estque veluti parochus totius diœcesis (8).

(1) Lucidi de Visitat. SS. Lim. tom. 1, fol. 77, n. 68 et 69; Zamboni tom. 4, *Canonicatus* § VII; Pyrrhus Corradus Praxis benef. lib. 2, cap. IV, n. 113 et 115.

(2) Barbosa de canonicis cap. XXVI, n. 6, 7, 8, 11; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. IX, n. 46-49; Scarfanti lib. 4, tit. IX, animad. 15; Bouix loco cit. § II.

(3) Acta S. Sedis, vol. XXII, fol. 610.

(4) Pallottini *Canonicatus* § VII, n. 104 etc.; Barbosa loco cit. n. 10 et 11; Lucius Ferraris loco cit. n. 50 et 51; Bouix loco cit.; Acta S. Sedis, vol. XXIII, fol. 551 seqq.

(5) Vid. *Analecta juris Pontif.* 1865, sér. 8, fol. 1634, VII et fol. 2267.

(6) Pallottini *Canonicatus* § VII, n. 49 et seqq.

(7) Lucius Ferraris loco cit. n. 83, vid. § præc. n. V.

(8) Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 67; Benedictus XIV de Syn. lib. 3, cap. IV, n. 3; Barbosa de canonicis cap. XXVI, n. 12.

Idcirco tamen majorem facultatem non habet ac alii confessorii (1), neque absolvere potest a casibus reservatis Papæ, neque etiam a reservatis Episcopo, nisi Episcopus eam facultatem ei expresse concesserit (2). Respuere equidem nequit delegatam jurisdictionem in foro pœnitentialem, et facultatem absolvendi a reservatis, si Episcopus eam obtulerit, quia munus publicum, uti est jurisdictio, a nemine recusari potest (3).

Auctoritatem suam delegare nequit, neque facultatem absolvendi a reservatis, sibi ab Episcopo commissam, alteri subdelegare potest, nisi hoc ab Episcopo ei expresse concessum fuerit (4).

Sicut a reservatis absolvere non potest, sic similiter nec commutare vota, nec dispensare in impedimentis aut irregularitate, nec alia præstare, ad quæ specialis facultas requiritur, nisi a legitima auctoritate ei expresse committatur.

VI. Spectat ad Episcopum, determinare locum et sedem, dies et horas, in quibus confessiones a pœnitentiaro audiendæ sunt (5). Statis diebus et horis paratus esse debet in ecclesia cathedrali et in sua sede ad excipiendas confessiones (6). Quinimo etiam non vocatus, in sede confessionali assistere debet in festis solemnioribus, videlicet tempore jejuniorum quadragesimæ, adventus, quatuor temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini (7).

Præterea non solum in ecclesia sed etiam domi tenetur audire confessiones pœnitentium, qui ægritudine vel alio impedimento legitime detenti ad ecclesiam accedere non possunt (8). Cogi tamen non potest ad residendum in sua sede confessionali tempore, quo non adsunt pœnitentes, qui sua opera uti velint (9).

(1) Pallottini, *Canonicatus*, § VII, n. 148 et seqq.

(2) Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 8; Benedictus XIV de Syn. lib. V, cap. V, n. 8; Barbosa de canonicis cap. XXVI, n. 16; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. X, § 1.

(3) Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § VI, n. 24-27, et tom. 4, *Canonicus* § VI.

(4) Barbosa loco cit. n. 18, et Lucius Ferraris loco cit. n. 70 et 72.

(5) S. C. C. 21 Ap. 1587 apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 4; Barbosa de canonicis cap. XXVI, n. 14.

(6) S. C. C. 21 Nov. 1761, § 9, *Pisaur.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus* § VI.

(7) S. C. C. in *Segebtien.* Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 76.

(8) Pallottini, *Canonicatus* § VII, n. 181.

(9) S. Cong. Episc. 18 Sept. 1627; Lucius Ferraris loco cit. n. 77; Pallottini, *Canonicatus* § VII, n. 189 et seq.

Pœnitentiarius tamen non tenetur, nec ad majorem residentiam cogi potest, quam alii canonici, qui per tres menses abesse possunt, dummodo tamen non absit tempore, quo pœnitentes frequentius accedunt, et diebus festis solemnioribus, qui supra numerati sunt (1).

Pœnitentiarius confessiones excipit, superpelliceo et stola violacea indutus, sicut Rituale Romanum præscribit; aliud enim pro ipso nullibi ordinatur, nec permittitur. Cum tamen Rituale superpelliceum et stolam in excipiendis confessionibus tantum præscribat, *prout tempus et locorum feret consuetudo*; si ea existat consuetudo, ut canonici in habitu choralis confessiones excipiant, ac stolam superimponant, eadem retineri potest (2).

VII. Ut pœnitentiarius officium suum libere exercere et adimplere valeat, non potest exercere curam parochialem, neque simile officium possidere aut retinere (3); non tenetur assumere administrationem honorum et rerum capitularium, neque onera et officia capitularia, præsertim generalem procuracionem reddituum et honorum ecclesiæ, neque officium punctatoris; neque ablegari potest pro negotiis et controversiis capituli (4).

Item si in ecclesia non adsit ordinum divisio, diebus solemnioribus inservire tenetur pro diacono et subdiacono, nisi actu fidelium confessiones excipiat (5); si autem habeatur ordinum divisio in sacerdotalem, diaconalem et subdiaconalem, cogi non potest ad inserviendum missis cantatis pro diacono et subdiacono, constitutione ecclesiæ aut consuetudine non obstante (6). Regulariter etiam admittendus non est in confessarium monialium, nisi utriusque muneris satisfacere possit (7).

Vicarius generalis communiter quoque esse non potest, ne suspicionem ingerat, quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis, nisi tantæ apud omnes esset opinionis, ut hujusmodi excluderetur suspicio (8).

(1) Lucius Ferraris loco cit. n. 78 et Barbosa loco cit. n. 19; Pallottini, *Canonicatus* § VII, n. 197.

(2) S. C. C. 2 Junii 1860 apud *Analecta juris Pont.* sér. 5, fol. 489; Gardellini in dec. S. R. C. 4 Jun. 1817 dub. addit 2.

(3) Pallottini, *Canonicatus* § VII, n. 53 et seqq.

(4) S. C. C. 3 Oct. 1671, 2 et 3, dubia pœnitentiarum; 12 Dec. 1676 *Anagnina*; 19 Nov. 1729 *Conversana*, apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 12, 13, 14 et 19.

(5) Pallottini, *Canonicatus* § VII, n. 225 et seqq.

(6) S. R. C. 21 Januarii 1673 *Veliterna*.

(7) Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 86.

(8) S. Cong. Episc. 15 Jul. 1611; Lucius Ferraris ibidem n. 85.

Eligi tamen potest ad officium secretarii capituli, archivistæ et aliorum similium (1).

VIII. *Dum confessiones in ecclesia audit, interim præsens in choro censetur* juxta Concilium Tridentinum, ita ut, dum confessiones in ecclesia cathedrali audit, sive in confessionali sive extra illud, lucretur fructus præbendæ et distributiones, ac si de facto choro assisteret; quinimo acquirit distributiones, quæ dantur pro supplicationibus et processionibus, atque pro anniversariis (2). Exceptio tamen faciendâ est, præcipue pro anniversariis, si distributiones ex voluntate dantis seu fundatoris debeantur solis actu præsentibus, ut dicitur cap. XXX, § 7.

Distributiones autem aliaque emolumenta non lucratur, dum extra ecclesiam audit confessiones (3), neque dum celebrat, aut officium suum privatim recitat, etiamsi hoc faciat ut confessiones opportunius audiat (4).

Dubitatur autem, an lucretur distributiones aliaque emolumenta si tempore chori sedeat in confessionali, confessiones vero non audiat, sed pœnitentes expectet. Negant Pallottini, Benedictus XIV, Barbosa et Lucius Ferraris (5). Quapropter S. C. Congregatio censuit, Pœnitentiarium, quando non est impeditus in munere confessionis, divinis officiis interesse debere (6). Sanctus autem Alph. de Ligorio (7), affirmat cum aliis, et censet hoc verius esse, si pœnitentes soleant accedere, et pœnitentiarius eo animo se detineat, ut promptiorem illis se exhibeat, vel ne pœnitentes eum perquirere cogantur, et ob verecundiam ejus inquisitionis confessiones omittant.

Notandum, eadem privilegia extendi ad canonicum, quem Episcopus ad confessiones excipiendas loco pœnitentarii sufficit, et

(1) S. C. C. 15 Ap. 1690 *Vicen.* et 24 Sept. 1729 apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 16, et tom. 4, *Canonicus* § VI.

(2) S. C. C. 4 Sept. 1591 *Januen.* et 15 Mart. 1631 dub. 2, *Viterbien.* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 5; Barbosa de canonicis cap. 26, n. 21; Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 81.

(3) Barbosa loco cit. n. 22, et Lucius Ferraris, n. 82.

(4) Barbosa loco cit. n. 20.

(5) Pallottini *Canonicatus* § VII, n. 134; Bened. XIV Instit. 107, § IX; Barbosa loco cit. n. 20; Lucius Ferraris, n. 80.

(6) 25 Januarii 1642, *Fanen.* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 9.

(7) Theol. mor. lib. 4, n. 131.

etiam ad illum, qui in casu necessitatis de expresso Episcopi mandato audit confessiones (1).

IX. Si pœnitentiarius confessiones audire renuerit, munerique suo defuerit, ab Episcopo puniri potest (2). Si, ipso non residente, Episcopus ad privationem canonicatus procedere velit, servare tenetur regulam præscriptam a Sacro Concilio Tridentino sess. 24, cap. 12, de reformat (3).

§ 3. De præfecto chori.

I. Directio chori ad primam dignitatem per se pertinet, ut dictum est cap. VIII, § 2, IV, ad 5, eaque absente, ad digniorem ex præsentibus. Dicitur tamen *per se*, quia sive ex consuetudine, sive ex statutis ecclesiæ pertinere potest ad alium de capitulo, qui præfectus seu magister chori dici solet, et hujusmodi directionem nomine ipsius capituli exercet (4).

II. Præfectus chori constituitur vel promotione ad aliquam dignitatem vel officium, cui hæc præfectura annexa est, vel nominatione Episcopi, vel electione capituli, prout ipsius capituli ferunt jura, statuta aut consuetudines.

III. Chori præfecto, legitime constituto, competit chorum dirigere; eique omnes obedire tenentur (5).

Hoc tamen intelligendum est Episcopo absente (6). Jurisdictio enim sive primæ dignitatis sive præfecti chori quoad chori directionem non est privativa, sed cumulativa cum Episcopo, si divino officio assistat; ita ut Episcopus possit dirigere et corrigere, atque in istius jurisdictionis exercitio præferendus sit præfecto chori, qui, licet etiam præsentem Episcopo, eandem quidem jurisdictionem cumulativam habet, prælatio tamen convenit Episcopo (7). Idipsum

(1) S. R. C. 14 Junii 1608, *Fulginaten.* S. C. C. 10 Mart. 1635, *Lucana* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 6.

(2) S. C. C. 21 Nov. 1761 *Pisaur.* § 8 apud Zamboni tom. 4, *Canonicus* § VI; Lucius Ferraris, *Canonicus* art. IX, n. 75.

(3) Lucius Ferraris *Canonicus* art. XI, n. 10; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. X, § VI, Vid. § præc. ad XIV.

(4) Scarfantoni Lucubrat. can. lib. 2, tit. 5, animadv. 1, 2 etc.

(5) S. R. C. 6 Aug. 1735, *Imolen.* 2; Pallottini *Canonicus* § VII, n. 18-22.

(6) S. R. C. 17 Dec. 1695, *Abellina* 3, et 3 Aug. 1737, *Urbevetana* 1.

(7) Scarfantonus lib. 1, tit. III, animadv. 43, et lib. 2, tit. V, animad. 4-9.